



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon M. Theodorici Engelhusii

Engelhusius, Theodoricus

Helmestadi[i], 1671

Praefatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10979

PRÆFATIO AD LECTOREM.

*V*nominum hanc malorum mos esse solet, BE-
NEVOLE LECTOR, ut si non summam
omnem, quam debent, ad constitutam diem,
saltem partem ejus creditoribus solvant, quovel
sic tandem ære alieno exeant: hunc si & ego in
promissis à me hac tenus Germanicæ rei Scriptoribus retineam,
neminem æquum & cordatum mihi vitio id daturum spero.
Decem videlicet jam intercesserunt anni, cum Scriptorum
Insignium à CL. TRITHIMIO prætermisso rum, (eo-
rum cum primis, qui in Academiis tribus inclytis, Lipsiensi,
VVirtebergenfi & Francofordiana ad Oderam, doctrina
nobiles & clarifuerunt) Authoris cuiusdam Incerti Centu-
riam edens, (a) me prima quaque occasione additum pol-
licitus sum ejusdem notæ Centuriam alteram, à quodam
Hildesheimensi, ut tum visum est, Monacho, ipsi Trit-
heimiano Codici impresso adjunctam: simul & Chroni-
ca, Monasteriorum fundationes, & Diplomata varia,
partim à Viris Amplissimis, istarum rerum intelligenti-
bus, pro ipsorum in me benivolentia, humanissime mecum
communicata, partim proprio labore, è tenebris, situ & squa-
lore, quibus immersa jacebant, à me eruta. Quod quidem in
hoc usque tempus ita successit, ut licet non omnino ex voto
): (2 fluxe-

a. Helmstas.
di A. 1660.

P R A E F A T I O

fluxerit, tamen vix unus aut alter præterlapsus sit annus, quo non eorum aliquid evulgarerim, atque fidem meam liberare pro virili simannis. Nunc vero M. THEODORICVM ENGELEHVSIVM, Scriptorem seculi XV. industrium & do-

ctum, (cujus Imperatores tantum aliquot, ad Serenissimam

Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium Do-

mum spectantes in Antiquitatibus meis Brunsuicensibus

B. Helmst. 3661.
tum proxime edebam b) emitto integrum: qui quantam eu-
ram adhibuerit, ut hoc Opus suum, quantum in se erat, excul-
tum, atque lectissimis quibusque floribus hinc inde consper-
sum, in lucem prodiret; testantur, quos passim citat, Scripto-
res illustres, à me in catalogo subnexo repræsentati: ex quo-
rum hortulis indefesso studio nihil non decerpit, quod ad or-
natum illius videretur facere. Testantur etiam, quibus
in hac editione adornanda usus sum MSS. quatuor, quorum
unum semper altero fuit perfectius atq. limatus; ut adeo usq.
ad vitæ finem, quod de Platone sapientissimo Dionysius scri-
psit Halicarnensis, illud peccere fortean atque calami-
strare non desierit. Nec enim solum, quod Vir Magnifi-
cus Hermannus Conringius, Academie Iuliæ [quod diu
adhuc velit esse Deus] splendidissimum fidus, benigne suppe-
ditavit; recensitum, ut præfatio arguit, anno ejus seculi XXVI.
locupletius erat & Lansbergiano & Hoffmanniano MS-
tis, [ut dicto etiam indicavi libro] sed & longe superat, quod
haud ita pridem obtulit, tribus annis ante, nimirum 1423.
ut Epilogus annexus ostendit, collectum & scriptum, Nobilis-
simus

AD L E C T O R E M .

simus Ictus , Simon Finckius , Aule Serenissimæ Brunsvicæ
eensem ac Lunenburgensem Ducis Blancoburgicæ Consiliarius :
ut movere Te , AMICE LECTOR , non debeat , quæ ex hoc in fine
Chronici à me itidem rejecta est præfatio ; ut quæ tota tum tem-
poris , quando exemplar illud divulgabat Autor , ex Vincentio
Bellovacensi videatur expressa : qui & Ordinis Prædi-
catorum fuit Monachus , & Friderici II. temporibus vi-
xit , & Speculi etiam Historialis , Doctrinalis , Moralis
ac Naturalis vocibus in opere suo disponendo usus est . De
patria Auctoris , ut ut in hac Inferiore Saxonia indubita-
to vixerit , non equidem ausim quidquam nunc defini-
re ; quanquam Eimbeccensem ipsum vocent Praclaris-
simi Viri Guilielmus Budæus , & Henricus Meibomi-
us ; ille quidem in Vita Alberti II. c Halberstadiensis Epi-
scopi , & Brunswicensium Ducis ; hic vero in Catalogo
Scriptorum ex quibus Chronicon Brunswicense C. L.

a. Edit. Hal-
berst. An.
1624. p. 98.

Buntingii d auxit atque corredit : præsertim cum Joha-
nes Letznerus , Vir , si quis alias , in ejusmodi curiosus &
diligens , parte I. libri VI. Chronicæ Dasselensis , e ubi
data opera de Eimbeccensibus claris agit , ne minimam
quidem ejus faciat mentionem , imo nec cognitum eum habu-
erit , cum opus illud scriberet . Quamvis alias , cœu ex Ca-
talogo Testium veritatis Matthiae Flacii f & Simo-
nis Gularpii g , tūm ex Bibliotheca Iohan Iacobi Fri-
sii , h & libro III. de Historicis Lat. Iohan Gerhardi
Vossii , i videre est , non plane latuerit , sed & lectus à mul-

d. edit. Ma-
gdeb. 1620.
e. edit. Et-
furt. 1596.

f. pag. 761.
edit. Basile
1556.


g. pag. 1591.
edit. Ge-
nev. 1608.

h. pag. 776.
i. pag. 801.
tis edit. Lugd.
Bat. 1651.

JSC 3

PRAEF. AD LECTOREM.

tis præstantibus sit viris, & maximæ apud eosdem fuerit dignationis; ut item edere ipsum ex Bibliotheca CL. Neandri, hoc nostro seculo aggressus sit, quem jam memoravimus, Guilielmus Budæus Medic. D. & Physicus Halberstadensis; præ inani tamen ut plurimum nimisque rugosa crumena, sicut ipse loquitur, à proposito mox deterritus: scripsiterque laudati modo Meibomii, quem & nomine refert, Celeberrimus Nepos, exemplum quoddam hujus Chronicorum, ex Codice vetusto anno 1643. descriptum (præterquam quod anonymous ille descriptor, se vidisse & Commentarium Engelhusii in Psalmos, & Vocabularium, in fronte ibidem notaverat) Ultrajecti se præsente publica auctione fuisse divenditum: ut proinde pluribus in locis atque bibliothecis inveniri illud, ac forte ornatius inde protracti aliquando in lucem posse, haud diffitear. Interea, dum hoc sive à me, sive ab alio fiat, Tu L E C T O R HUMANISSIME, hac opera nostra fruere, nobisq; porro favens, bene ac feliciter VALE.



CATA-